



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Controversiæ Recentiores. De autoritate Pontificis & Conciliorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

CONTROVERSIÆ
 RECENTIORES
 DE AUTHORITYTE
 PONTIFICIS ET CONCILIORUM

Quoniam *authoritas Ecclesie docentis; quam supra stabilivimus, exire solet in Actum per definitiones Pontificum, aut Conciliorum, necessarium est difficultates modernas quæ de his moveri solent latius explanare, ut Curatores animarum in quavis particulari questione sanam Ecclesie doctrinam discernere, ac tueri valeant.*

QUÆSTIO PRIMA.

An authoritas Concilii generalis sit supra authoritatem Pontificis?

Affirmativam partem sustinuerunt aliqui Doctores Catholici, qui licet contra hæreticos agnoscant Pontificem esse supremum in terris Caput universæ Ecclesie, id tamen intelligunt de Ecclesia ut est singillatim ac sparsim sumpta, non verò ut collecta, & in unum Corpus legitimè congregata. Ita docuit Gerson lib. de potestate Papæ, Almainus de author. Ecclesie, Tostatus defensorii *part. 2. cap. 72.* & aliqui ex Sorbonicis, contra quos.

Dicen-

Dicendum est, Pontifici competere auctoritatem Concilio generali majorem. Est hæc communis Theologorum doctrina, quam plures dicunt fidei proximam, & oppositam sententiam erroneam appellant, ac fusè eam oppugnant, cum Bellarmino de Concil. *Lib. 2. cap. 15.* Cajetano, aliisque.

1. Ut clarius hoc breviusque probetur, assumo id primò, quod adversarii ultro concedunt. Pontifex Romanus est Caput, ac Pastor universalis singularum Ecclesiarum ut sunt sparsæ ac sejunctæ; Ergo est etiam Caput ac Pastor omnium Ecclesiarum ut sunt in unum conjunctæ ac congregatæ in Concilio generali. Patet consequentia, quia per collectionem in unum gregem, sive in Corpus Concilii, Ecclesiæ particulares non desinunt esse oves Christi, quas disertè ac sine exceptione Christus ipse suo in terris Vicario subjecit, dum dixit Petro, *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos.* Non enim desinunt esse oves, aut degenerant à natura fratrum per mutuum conjunctionem inter se, & cum suo Capite in Concilio generali.

Ex quo ulterius patet, Concilio nullam immediate à Christo collatam esse auctoritatem, sed omnem quam habet potestatem à Pontifice derivare, cum Christus nulli præter Petrum reperitur gubernandæ Ecclesiæ auctoritatem concessisse.

2. Probatur secundò hæc doctrina, ex ipsa Conciliorum Generalium solemnè ac legitima declaratione, quâ summi Pastoris auctoritatem Concilio majorem agnoscunt. Atque imprimis Concilium Florentinum, ex Patribus tam Græcis quàm Latinis conflatum, summo consensu sic decernit P. 2. Collat. 22. *Definimus Sanctam*
Aposto-

Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Verticis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, ET TOTIUS ECCLESIAE CAPUT, & omnium Christianorum Patrem, ac DOCTOREM existere, & in universum orbem tenere primatum, & in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. En decretum legitimi Concilii, & à Pontifice confirmati, declarat Christi Vicarium totius Ecclesiae Caput: & in universum orbem tenere Primatum: pars autem orbis est Ecclesia in Concilio congregata: non poterit ergo Pontificis auctoritati se subducere, nisi forte ultrà universum orbem ad spatia ignota se extendat.

Accedit altera definitio generalis Concilii Lateranensis ultimi, sub Leone X. sess. 11. ubi postquam declaratum est decreta Concilii Basileensis contra Pontificis auctoritatem, nullius esse roboris, ita subiungitur: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam AUTHORITY SUPRA OMNIA CONCILIA HABENTEM, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, nedum ex sacra Scriptura testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.* Facit horum Conciliorum in propria causa tam luculenta confessio, ut supervacaneum putem prolixiora eam in rem argumenta coacervare, quibus facile est tractatus integros implere.

3. Opponunt aliqui primò, Decreta Concilii Constantiensis *Sess. 4.* & Conc. Basileensis *Sess. 2.* quæ videntur Concilio generali asserere auctoritatem Pontifice majorem.

Ref-

Respondeo, Concilia ista quoad hoc confirmata non fuisse, ideoque in hoc nullum robur obtinere, ut constat ex Bulla Leonis X. in Concilio generali Lateranensi, in qua declaratur, utrumque Concilium in hoc negotio errasse, ipsumque Concilium Basileense Conciliabulum appellatur, quod fusius ostendit hic Bellarminus, ac Turrecremata qui tunc vixit, aliique.

Oppones secundò, In primo Concilio ab Apostolis Hierosolymis celebrato, non Petrus, sed totum Concilium dixit; visum est Spiritui Sancto, & nobis &c. Et decreta istius Concilii auctoritate Ecclesiae propria, non Petri nomine, ad fideles Antiochiam transmissa fuere.

Respondeo, hæc quidem gesta fuisse auctoritate totius Concilii, sed non excluso Petro ejus Capite, à quo decreta illa vim & robur accipere, sicut dum modo decreta Conc. Tridentini proponuntur fidelibus nomine Concilii, id omnes intelligunt de Concilio prout in eo Pontifex includitur.

Oppones tertio, *Matthæi 18.* Christus dixit ipsi Petro, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiae. Ergo ipsa Ecclesia in Concilio congregata, potestatem judicandi immediatè à Christo accipit.

Respondeo, præceptum illud non intelligendum de Ecclesia in universali Concilio congregata, aliàs enim impleri non posset trecentis annis post Christum, quo tempore nullum in Ecclesia fuit Concilium generale. Per Ecclesiam igitur Christus hic aliud non designat, quam quemlibet Superiorem, aut Congregationem, quæ in Ecclesia legitimum iudicium exercet; rectè enim dicitur fieri ab Ecclesia, quod fit à persona publicam in ea habente potestatem.

4. Postre-

4. Postremò , hic extorquendum est telum quibusdam, qui hoc tempore in Partibus hæreticorum se vocant Missionarios Apostolicos, nec dubitant tamen, ut evehant potestatem Principum sæcularium; Apostolicæ sedis auctoritatem infra Concilium deprimere: ac confidenter asserere, hanc esse Ecclesiæ Gallicanæ certam, & indubitatam doctrinam.

Verùm in hoc produnt crassam rerum Gallicarum ignorantiam, dum suam, & paucorum labem, omnibus Galliæ Theologis affricare nituntur. Testatur id mecum celebris scholæ Sorbonicæ Doctor Andræas Duvallius agens de ea sententia quæ asserit Pontificem esse supra Concilium generale Tract. de Rom. Pont. potestate P. 4. q. 7. *Totus (inquit) orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam (Sententiam) amplectitur; & rationibus validissimis, cum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex Principiis Theologiæ petitis confirmatur.* Atque idem Doctor luculenter ostendit in Anteloquio §. *quo pacto.* Concilium Basileense, in hoc puncto Pontificiæ auctoritati inimicum, ab universa Ecclesia explosum semper rejectumque fuisse, nec aliam in hoc esse fidem Galliæ, quam universalis Ecclesiæ.

Hujus rei præclarum præbuere argumentum Episcopi Galliæ, & Doctores Sorbonæ, quando Parisiis anno 1611. prodiit libellus Anonymus de Ecclesiastica & politica potestate, qui cum in hac quæstione videretur Pontificis auctoritati adversari, Cardinalis Perronius, unâ cum Episcopis provinciæ Senonensis, & postea Aquensis provinciæ Antistites, gravi censura libellum notarunt, ac suo decreto condemnarunt. Quorum sententiam ipse Author libelli postea amplexus est, suumque errorem debite retractavit.

Abeant

Abeant jam inanes fabellæ, de Ecclesia Gallicana univèrsa in hoc dogmate Pontifici contraria : faceffat quoque credula nimis talium Missionariorum imprudentia , qui , ut cupiditatibus suis velificentur , à veritate auditum avertunt, & ad tales fabulas convertuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Pontificis definitiones sint infallibiles absque assensu Concilii generalis.

1. **R**espondeo, & dico Pontificem Romanum infallibilem habere authoritatem in definiendis rebus fidei pro univèrsa Ecclesia , etiam absque Concilio generali. Hæc doctrina communis est inter omnes melioris notæ Theologos : Contra Gersonem, & Almainum in lib. de potestate Ecclesiæ, Alphonsum de Castro , & Tostatium defensorii p. 2. c. 30. Adrianum VI. antequam esset Pontifex *quaest. ult. de Confirmatione, & quodlib. 2. q. 1.* cum quibus sensisse videtur Baius , uti patet ex ejus Epist. ad Doct. Gravium data an. 1572. & aliqui Sorbonici , qui tamen non negant definitioni Pontificis etsi fallibili obtemperandum esse , Sed istorum sententia ab aliis Theologis variâ censurâ notatur , adeò ut Bellarminus hanc etiam dicat erroneam, & hæresi proximam , & plures recentiores absolutè hæreticam.

Probatum hæc doctrina primò , illis argumentis quibus supra ostendi Pontificem esse supra Concilium, & nulli omnino à Christo , præterquam Petro, immediatè collatam esse authoritatem infallibilem regendi, & docendi univèrsam Eccle-

Ecclesiam, dum soli Petro cum successoribus determinatè, & in singulari dixit Lucæ 22. *Ego rogavi pro Te ut non deficiat fides tua, & Tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Et Joan. 21. *Petre amas me? Pisce oves meas.* Et Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam.*

Sed ne quis ulterius dicat, soli quidem Petro & successoribus collatam fuisse potestatem immediatam docendi universam Ecclesiam; potuisse tamen Christum requirere assensum Concilii generalis, tanquam conditionem sine qua spiritus Sanctus Pontificis definitioni non assisteret. Contrarium evincunt verba Christi superius allata, quæ cum sint absoluta, non patiuntur ullam huiusmodi conditionem apponi, præsertim cum illa gratiam ac Privilegium contineant, quod nunquam ultra Principis verba restringendum judicatur. Et verò parum Ecclesiæ usibus consentanea fuisset in Pontifice hæc docendi & docendi & definiendi autoritas, si non esset ab erroris periculo libera absque Concilio generali, quod nunquam sine ingenti labore ac molimine, imo aliquando, obsistentibus Principum diffidiis, ex toto orbe Christiano nullo modo cogi potest, Hunc igitur Ecclesiæ universæ Cætum requirere ad decidendum quamlibet fidei controversiam, ne quidem prudentiæ est humanæ, multò minus providentiæ divinæ.

2. Sed age, Si lubeat Ecclesiam universam tot itineribus toties fatigare. Demus jam grandævos illos Concilii Patres per mille viarum discrimina ab extremis oris in unum cætum, locumque cum suo Capite convenisse. Proponitur congregatis nova quæpiam fidei controversia, itur in suffragia. Sed ecce, ut sæpe factum, aliud sentiunt Patres, aliud Pontifex. Cujus hic sententiæ standum erit?

erit? Non solum Concilii, cum fatearis huius assensum tantum requiri per modum conditionis, ut Pontificis definitio sit infallibilis. Neque admittas standum esse sententiae definitivae solum Pontificis. Quid ergo Ecclesiae in hoc Concilio consilii erit? Si tuae innitatur sententiae, re infecta iter remetiendum, & de controversiis fidei decidendis desperandum erit.

3. At ne id unquam eventurum formidemus: Probatum secundo nostra assertio, ex testimonio Conciliorum generalium, quae in Pontifice res fidei per se desinente hanc auctoritatem erroris expertem ultro agnoscunt. Illam in Leone I. lubens admisit Synodus Calcedonensis IV. Nam priusquam Synodus illa Calcedone congregata fuisset, Leo Pontifex damnaverat Eutichetem Epistolam Flaviano Constantinopolitano inscriptam, quae verius encyclica sive universalis fuit. Haec cum Concilio lecta esset actione 2. Patres acclamarunt; *Anathema qui ita non credit, Petrus per Leonem locutus est.* Hanc itaque Leonis Epistolam ac sententiam definitivam, tanquam certissimam fidei regulam acceperunt, eique Actione quarta in Concilio subscripserunt. Quinimo postquam aliqui Episcopi Aegyptii, qui prius in reprobando Eutichete tergiversati fuerunt, tandem dixissent, *Anathema Euticheti, & credentibus ei,* nondum acquiescere Patres, sed iudicantes rem ex sola Pontificis sententia discernendam, denuo inclamarunt, *Subscribant Epistola Leonis, qui non ei subscribit haereticus est.* Usque adeo, ex sola Pontificis decisione, negotium fidei contra Eutichetem non amplius a Concilio iudicandum, sed ex Pontificis immobili sententia, jam iudicatum esse pronunciarunt, ita ut quemlibet ei obfistentem pro haeretico haberent. Denique tota Syno-
dus

us communibus votis Actione 16. à Leone postulavit, ut suâ confirmatione decretis Concilii firmum robur adiceret: satis in hoc apertè professus, inconcussam Decretorum firmitatem à sola Pontificis autoritate dependere.

4. Neque alia cæterorum Conciliorum mens & sententia fuit: patuit ea in Constantinopolitano II. Actione 4. erga Pontificem Agapetum in causa Anthimi: nec minus in Synodo VI. actione 18. erga Agathonem, de cujus ibi litteris tota Synodus ait. *Quas, ut à summo Apostolorum vertice divinitus conscriptas, agnoscimus*. Dein in Synodo VIII. erga Adrianum II. ac Nicolaum I. ubi actione 5. de sententia Photii sic denunciatur: *Neque nos sanè novam de illo iudicii sententiam ferimus, sed jam olim à Sanctissimo Papa Nicolao, & successore illius Adriano pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare.* Si synodus Pontificis sententiam immutare non potuit, ergo agnoscit eam immutabilis esse veritatis. Sed ne in proferendis aliorum Conciliorum monumentis sim prolixior, tantum adjungo brevem Concilii Tridentini confessionem de Baptismo sess. 7. can. 3. *Ecclesia Romana autem non nisi ratione Pontificis est Magistra cæterarum.* Quid verò aliud hoc est, quam soli Pontifici competere infallibile in docenda Ecclesia magisterium.

At, inquires, quædam Pontificum definitiones inter se pugnare videntur. Repono breviter, non pauciores in Conciliis, imo in Sacris litteris antilogias in speciem apparere: an ideo his, aut illis sua concidit autoritas? Solvit illas facile Bellar. & Amicus tom. 4. disp. 7. sect. 2.

Postremò, vim habet insuperabilem constans Ecclesiæ toto orbe diffusæ consensus in acceptandis omni ævo Pontificum decretis, quibus

graviores quædam hæreses profligatæ fuerunt, etsi ea nullius fuerint generalis Concilii assensu corroborata. Constat enim primò, jam inde à temporum Apostolorum, nullum in Ecclesia coactum fuisse Concilium generale usque ad Nicænum I. sub Sylvestro Papa, quarto demum post Christum sæculo: & tamen primi Pontifices ante Sylvestrum, contra emergentes hæreses plurimas fidei, morumque controversias irrefragabili autoritate definiverunt. Damnarunt enim illi; & hæreticos declararunt Caraphrygas, Montanistas, Marcionistas, Novatianos, ac Sabellianos, eosque ab Ecclesiæ corpore separarunt,

Post tempora Concilii Nicæni, quis ignorat quam graves in Ecclesia hæreses suscitaverunt Pelagiani, Semipelagiani, Priscillianistæ, Berengarius, Petrus Oxoniensis, aliique, quorum errores soli Pontifices absque Concilio generali proscripserunt, atque horum decreta omnes toto orbe fideles inviolabili fide sibi suscipienda esse non dubitarunt. Ac in Pelagiana quidem hæresi profliganda suum, sui que ævi sensum ac sententiam apertè depromit Gelasius Papa *Epistola 5.* Quid, inquit, tendimus ultra definita majorum: aut cur nobis non sufficiunt? an forte nescitis hanc hæresim de qua loquimur, ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, continuis ac incessabilibus sententiis fuisse prostratam.

His superiori sæculo succedere Leonis X. decreta contra Lutheri errores sancita, & ante coactum Tridentinum magno omnium, præterquam Lutheranorum, consensu recepta. Subierunt & nostro ævo, contra Jansenii dogma-

ta, Urbani VIII. aliorumque Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. nota satis orbi Christiano Diplomata, de quibus tamen cogimur, si Ecclesiæ filii esse velimus, ut Gelasius, pronunciare: Quid tendimus ultra definita Majorum? aut cur nobis non sufficiunt? an forte nescitis hanc hæresim (de qua loquimur) ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ *Vrbani*, ac deinde *Innocentium*, & *Alexandrum* continuis ac incessabilibus sententiis fuisse prostratam. Hæc illius primævi & aurei sæculi, aurea vox, & doctrina fuit: nescio quid ferreum, ac priscis incognitum subinde minatur nostra ætas, dum contra supremi Pastoris vocem obdurefcit. Deficere non potuit in Romanis Pontificibus pristina illa, & à Deo promissa in docendo auctoritas, defecit ergo in obluantibus primæva observantia.

Admittunt more majorum melioris notæ Doctores Catholici, pontificis etiam absque Concilio auctoritatem erroris expertem, quam supra asserui: & hanc extendunt ad decisionem indubitam omnium controversiarum, in quibus è Cathedra alterutram partem pro universa Ecclesia definit.

Emerferunt tamen recentiores quidam Theologi, qui huic amplitudini pontificiæ potestatis novos limites apponere moluntur. Quamvis enim admittant Pontificem in definienda Juris quæstione errare non posse, volunt tamen in Quæstione Facti, etiam quando Ecclesiam universam è Cathedra docet, errori obnoxium esse. Et ut securi sint ne ab hac doctrina validiori freno cohibeantur, negant etiam Concilio generali auctoritatem indubitam in *Facti* quæstiones concedendam. Hinc si quando de alicujus

Personæ erroribus, defensu Libri, de mente Authoris, & aliis hujusmodi, controversia nova oboritur, ut sententiam sibi metuendam declinent, liberum pandunt ad Facti quæstiones effugium, hoc se clypeo contra Pontificum ac Conciliorum decreta, & anathemata tutos arbitrantur.

Sed levius ferendum foret, si hujus doctrinæ lues iis tantum quibus nata est finibus contineretur. Latè nimium illa serpit, dum trans oceanum ad Apostolicos quoque Missionarios penetravit, quorum aliqui cum Carono suis etiam Scriptis hoc contagiosum virus insperferunt. Nec dubitarunt, in alio genere causæ ac controversiæ, contra Pontificum decreta ac censuras, hanc Facti quæstionem obtendere; & ipsos etiam Sectarios, hoc prætextu, Pontificiæ potestati in multis subducere. Ne igitur alii hoc nixi medio apud ignaros aditum sibi ulteriorem aperiant, hic brevem hujus controversiæ expositionem illis oportunè objiciendam judicavi.

QUÆSTIO TERTIA.

An Pontificis in Definiendo autoritas infallibilis extendat sed ad omnes tam Iuris, quam Facti quæstiones?

Respondeo & dico, Nullum errorem cadere posse in doctrinam quam Pontifex autoritate summâ definit, & proponit universæ Ecclesiæ, sive illa Iuris, sive Facti quæstionem contineat.

Nolo probare hanc assertionem argumentis prolixioribus. Ex unico principio jam stabilito

rem

rem hanc dilucidè breviterque connciam.

Certum est fide divinâ omnibus Catholicis, Ecclesiam universam, cujus caput est Romanus Pontifex, non posse in credendo errare; quod supra contra Sectarios firmavi. Atqui si definitio Pontificis in doctrina Facti esset obnoxia errori, in eundem errorem traheretur universa Ecclesia. Ergo in proponenda Ecclesiae hujusmodi doctrina non potest Pontifex errare.

Minor probatur. Quia de facto Pontifex summâ potestate aliquid definiens in quaestione facti, districtè, & sub anathemate mandat id credi & recipi ab universa Ecclesia, eo tenore quo procedit in quaestione juris; & tota Ecclesia tenetur ejus mandato obtemperare. Ergo si Pontifex in definienda Facti quaestione esset fallibilis, absolutè posset, imo deberet universa Ecclesia in eundem errorem induci.

En quo pertingat immanis error! qui dum in Facti quaestione Pontificis auctoritatem convellit, eâdem ruinâ involvit universam Ecclesiam, ipsam columnam, & firmamentum veritatis.

2. Hanc verò in Pontifice circa Facti quaestiones inviolabilem potestatem ab Ecclesia agnitam semper receptamque fuisse, ex suis ipsa monumentis testabitur, ex quibus sufficet pauca, & caque recentiora proferre.

Sunt hæc Facti quaestiones: An cum corpore Christi remaneat panis substantia in Sacramento Eucharistiae: An Christus aquam vino miscuerit in ultima cæna: An per Baptismum & Confirmationem imprimatur character Sacramentalis: An Ecclesia antiquissimis temporibus usa fuerit Indulgentiis: An Deipara semper virgo permanserit: An eadem per totam vitam

ex speciali privilegio vitaverit omnia peccata etiam venialia &c. Has verò quaestiones Leo X. Pontifex per suam Bullam contra modernos haereticos resolvit, ac definivit, suamque definitionem universae Ecclesiae sub anathemate credendam proposuit, idemque postea in Concilio Tridentino praestitum fuit. Contra hanc Pontificis definitionem nemo orthodoxus excepit, nemo ad Facti latebras confugit, nemo in his quaestionibus sine erroris periculo decidendis, praeter Sectarios, summi Pastoris auctoritatem in dubium revocavit.

3. Hanc igitur semitam in aliis Facti controversiis teneat necesse est, qui non cupit novo exemplo à priscis Patrum vestigiis, & veritate deviare: quod ni faciat nullum fidei controversiis, nec in Romana quidem Ecclesia, exitum inveniet. Faciamus enim, insurgente nova adversariorum oppugnatione, Pontificem aut Ecclesiam pro fidelium pace aliquid definire, exempli gratia, Deiparam nunquam actu peccasse: nunquam contraxisse maculam originalem: Lutherum non fuisse à Deo missum. Quam facile foret omnem hujus definitionis vim evertere opponendo, hic involvi quaestionem Facti, hanc non esse materiam fidei, Pontificem in his summam auctoritatem decidendis potestatis suae limites excessisse. Saepe enim, an quaestio aliqua factum involvat, à sola nominis lite dependet. Quisquis igitur non inanes lites, sed potius expeditam fidei semitam inquirat, huic Regulae insistat necesse est: Pontifex aliquid definivit, & Ecclesiae credendum proposuit; ergo id potuit definire. Parum enim utilis foret Spiritus veritatis in Ecclesia perpetuò mansurus, si permitteret Christi Vicarium suo nomine, & summam auctoritate

thoritate aliquid universæ Ecclesiæ proponere, quod per suam assistentiam ab erroris periculo non vindicaret.

4. Neque huic doctrinæ adversatur Bellarminus *Lib. 4. de Pont. c. 2.* aut Doctores alii, qui tradunt Pontificem, *etiam ut Pontificem, & cum Concilio generali errare posse in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè dependent.* Non enim admittunt illi quod Pontifex summâ potestate pro universa Ecclesia aliquid definiens possit esse obnoxius errori: sed tantum docent, Pontificem etiam ut Pontificem, per modum judicis privati, errare posse in controversiis facti particularibus, ut dum aliquem excommunicat, suspendit, damnat, aut absolvit, potest fieri ut innocentem damnet, aut nocentem absolvat: quia in hujusmodi iudicio non exercet officium Pastoris universalis, neque in his, si erret, tota Ecclesia in errorem inducitur, quia veritas talis sententiæ non proponitur definitivè tanquam ab universa Ecclesia sub præcepto recipienda. Dicitur tamen actus illos exercere, tanquam Pontifex, quia robur suum habent à Pontificia potestate, à cuius sententia ad aliud tribunal appellari non potest. Hoc igitur sensu intelligendus est Bellarminus, nec non Baronius, & Spondanus, dum in historia Honorii admittunt Pontificem & Concilia in quaestione facti errare posse. Et de Bellarmino quidem satis id apertè colligitur ex verbis, quæ loco supra citato præmittit, ubi tradit sententias Pontificum interdum *Versari in rebus particularibus quæ ad paucos pertinent, quales ferè sunt omnes controversiæ facti, ut an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus &c.* Harum enim quaestionum

F. 4.

decisio

decisio ex informatione testimoniisque hominum præcipuè dependet, non ex Spiritus sancti assistentia, quæ tantum Pontifici definienti, & universam Ecclesiam docenti, promittitur.

Ex dictis hæctenus dilucidè sequitur, nunquam fieri, aut sperari posse, ut aliqua eadem propositio sive in materia juris, sive facti, semel ab Ecclesia aut Pontifice damnata, postea definiatur ut vera, vel contra, ut præclare deducit P. Bruno Neusser vir eximiè doctus, in suo Prodomo Velitari p. 1. cap. 3.

QUÆSTIO QUARTA,

An possit error cadere in Ecclesia, aut Pontificis definitionem de sensu Scripturæ Canonica, aut de doctrina alicujus libri Catholici?

1. **D**ico primò; De fide est Ecclesiam, aut Pontificem non posse errare, dum alicujus Scripturæ sensum definit, & universis fidelibus recipiendum proponit.

Probatur, ex ipsa Scriptura, & ratione manifesta, quibus supra Cap. 8. contra Sectarios, ostendimus Ecclesiam & Pontificem, esse judicem infallibilem controversiarum in materia fidei. Sed quæstio quæ oboritur de legitimo sensu Scripturæ sacræ, manifestè versatur in materia fidei: verus enim Scripturarum sensus nititur Dei revelantis autoritate, estque primum totius fidei fundamentum. Ergo in eo declarando necessarium est sententiam Ecclesie aut Pontificis ab omni errore immunem esse. Aliàs nulla superesset via, quâ possint hæreses

contra

contra verum Scripturæ sensum exortæ ex comperta veritatis luce dissipari.

Et verò si prisca patrum vestigia relegamus, hac autoritate nixi Pontifices & Concilia profligarunt Arium, Macedonium, Nestorium, Euticherem, quos de vero Scripturæ sensu sibi præfidentes, per legitimam verbi Dei interpretationem summa potestate declaratam ab Ecclesia segregarunt. Nec alio telo Patres Tridentini confixerunt hæreticos contra veram Christi in Eucharistia præsentiam sese efferentes, quam interpositâ suâ autoritate, quâ declararunt, illos contra Scripturæ sensum aberrare, qui Christi verba, Hoc est Corpus meum &c. *Ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universæ Ecclesiæ sensum detorquerent.* Si quis igitur hoc interpretandi magistræ infallibile Ecclesiæ deneget, is nondum convictos Lutheri errores, nondum prostratam Calvinii hæresim fateatur necesse est. De quo ne quis fidelium possit dubitare, aperte declarat Tridentinum *sess. 4.* Ecclesiæ esse, judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum. Neque existimo hanc doctrinam ab aliis quam apertis Ecclesiæ hostibus in dubium posse revocari.

2. Dico secundò : Falli nequit iudicium Ecclesiæ aut Pontificis, autoritate summâ approbantis alicujus Libri doctrinam ut veram, & Catholicam.

Probatum primò : Negari non potest quin Ecclesia & Pontifex sit infallibilis in aperiendo sensu Scripturæ sacræ, uti jam inter orthodoxos compertum esse demonstravi : ergo eadem polent facultate in approbando alterius libri doctrina ut Catholicâ, & absque erroris periculo

recipiendâ. Eandem utrobique rationem militare sic ostendo. Sensus ille quem Canonicus Scriptor suis verbis expressit, potest ab alio Authore dissimili verborum ordine & apparatu consignari, sic ut nullum subsit nisi in idiomate, & verbis discrimen. Quid quæso causæ est, cur sensum verum sub novo verborum apparatu latentem non possit Ecclesia deprehendere, si valeat eundem sub priori scribendi forma dignoscere? Certè ad fidelium institutionem, & ad dirimendas controversias omnino facit, veritatem fidei non tantum in sacris Litteris, sed etiam in quovis Libro, de quo lis oritur, sine errore designare.

Probatum Secundò; Si Pontifex, aut legitimum Ecclesiæ Concilium possit errare in approbando alicujus libri doctrina, ut vera & Catholica, jam ferè omnes Ecclesiæ definitiones suum robur amittent. Doctrina enim in illis definita plerumque à particulari quapiam persona conscripta & concinnata fuit, ac postea Pontificis aut Concilii judicio subjecta. Quod si in judicando de istius descriptionis sensu, Pontifex aut Ecclesia infallibilis non fuit, jam corrumpunt istæ definitiones ab universis fidelibus pridem receptæ. Exemplo sint Canones illi duodecim, quos Ephesinos vocant, quibus anathema dicitur doctrinæ Nestorii; conscripti fuerunt Canones illi primum à Cyrillo in una ex synodicis epistolis, quos demum ut Catholicos Ephesina synodus approbavit, uti apertè patet Actione 4. in initio Conc. Calcedonensis. Hæc autem approbatio nullius esset roboris, si non possit synodus illa sine periculo erroris judicare de Catholico sensu descriptionis à Cyrillo confectæ. Non enim de solis verbis, ac vocibus judicat Ecclesia, sed

de

de sensu quem verba illa conficere debent.

3. Probatur tertio: Et argumentum desumo ex mente eorum qui hanc doctrinam præcipuè oppugnant. Fatentur illi libenter Pontificem infallibilem esse in approbandis S. Augustini libris, in ea præsertim parte quâ Pelagianos ac Semipelagianos confutavit. De probatissima horum librorum veritate vel minimum hæsitare summi piaculi loco habent: ipsam proinde S. Augustinum Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, post Canonicos Scriptores primum de prædicare non dubitant. Hominem tamen fuisse S. Augustinum, & in scribendis libris errori obnoxium nemo est qui inficiabitur. Unde ergo illis S. Augustini Scriptis autoritas tanta accessit, ut ab omnibus veneratione summâ instar oraculi suscipi debeant? In promptu ratio est, quia scripta illa plures Pontifices aut Concilia approbavere: illis exploratæ veritatis testimonium apposuit Conc. Constantinopolitanum II. Gelasius Pontifex in Synodo Romana; ac postea Celestinus, Hormisdas, Joannes Papa, eadem contra Pelagii errores amplectenda esse declaravit. Certa igitur tibi est summa & inconcussa autoritas Pontificum, ac Conciliorum in approbanda S. Augustini doctrina vera ac Catholica; neque subit vereri ne hic vel ex quæstione facti, vel ex alia quapiam causa aliquod erroris periculum intervenerit. Quid igitur, dum de aliorum Authorum Scriptis sententiam Pontifices ferunt, lapsum illis aut errorem reformidas? Non tantum ad penetrandum S. Augustini sensum divinus Spiritus Ecclesiæ assistit, satis illi lucis est, ut ad alios ea sese diffundat; nec est cur lapsu temporis moderni Pontifices lucis hujus deliquum patiantur; Christus Iesus heri, & hodie, ipse & in sæcula.

QUÆSTIO QUINTA.

An possit Ecclesie aut Pontificis definitio esse erronea, de sensu Libri heretico, cujus doctrinam condemnat?

Dico primò ; Non licet inter Catholicos dubitare de Ecclesie, aut pontificis auctoritate infallibili in iudicando de alicujus Libri sensu heretico.

Probatur hæc assertio, ex doctrina jam à nobis in superiori §. stabilita. Sine ullo erroris periculo potest Ecclesia, aut Pontifex approbare alicujus libri doctrinam ut veram, & Catholicam. Ergo eodem modo potest condemnare alicujus libri doctrinam ut falsam, & hereticam. Nulla hic dispar ratio, omnia utrinque eadem concurrunt. Si in iudicio de sensu libri Catholico, vel nulla est quaestio facti, vel ea definitioni infallibili minimè obsistat, idem omnino statuendum erit de sententia, quæ sensus libri hereticus declaratur. Si pro conservanda fidei veritate necessaria est in Pontifice Romano auctoritas erroris expers ad discernendam in libris S. Augustini Catholicam veritatem, non minus eadem opus erit ad designandam in Pseudo-Augustino doctrinae falsitatem. Si denique ad officium spectat summi Pastoris, cui Christus oves suas pascendas commisit, salutaris doctrinae pascua illis demonstrare, non minus ad ejusdem munus pertinebit, herbas nocentes, id est doctrinam non sanam absque errore designare, ut fideles à libris, in quibus illa continetur, sui Pastoris curâ & auctoritate arceantur.

Ad

2. Ad argumentum hoc à Pastoris officio desumptum, opponit *Simichius in Goliatho*, sufficere ut pastor sciat se salutare tantum herbas, non autem venenatas Ovibus apponere, etsi interea ignoret in quo agro herbae illae creverint, aut quis fuerit agri cultor: atque eodem modo laborandum non esse, etsi summus Ecclesiae Pastor nequeat scire aut definire, ex quo libro, vel auctore doctrina sana, aut noxia desumpta fuerit, modò provideat ut oves sanæ non autem venenatae doctrinae pabulo nutriantur.

Displiceret non immeritò hæc responsio, nisi esset Scriptoris nostræ Patriæ, in qua cum venena non gignantur, minorem forte à pascuis venenatis noxam formidavit. Sed quia omnibus hæc scribimus, Quæro ego, quid magnòperè proficit Fidelium omnium Pastorem docere generatim, quid salubre sit, quid noxium, nisi fideles suos coërceat ab illis librorum pratis, & fontibus, in quibus noxia illa & venenata doctrina continentur? Quomodo autem arcebit, si non possit libros illos pestiferos absque errore designare? Hoc si Pastor præstare non valeat, quomodo oves pleraque, quæ minus acutum vident, poterunt pestiferæ doctrinae periculum evitare, dum advolvendum noxios libros novitas invitat, auctor allicit, facundia demulcet, & cælestis doctrinae Ambrosiâ se potari existimant, dum venenum hauriunt mortiferum? Nihil igitur hic juvat deducta illa à quadrupedum Pastore nonnihil clauda similitudo, qui compactum in stabulo gregem selectis herbis securè pascit, licet pratum ignoret, unde demessum fuerat alimentum. Clauda, inquam, erit similitudo, nisi pariter doceas, quo pacto grex Christi toto orbe diffusus, alicujus stabuli repagulis sic compingatur, ut

nequeat

nequeat libris noxiam doctrinam præbentibus liberar manus, aut oculos admovere. Artem hanc meliori compendio docet Ecclesia, dum indubitata supremi Pastoris voce, & oraculo, ipsos potius libros pestiferæ doctrinæ feraces designat, ac designatos ad carceres illos condemnat, in quibus luci, & fidelium manibus perpetuo subducuntur.

3. Probatum invictè eadem veritas, ex perpetua consuetudine pontificum & Conciliorum in ferenda sententia de librorum sensu, aut doctrina perversa; & ex fidelium consensu in amplectenda illa Pontificum sententia. Clariora ex plurimis exempla summatim refero. Libros Berengarii damnavit Nicolaus II. Severi libros reprobat Agapetus Pontifex, cujus jussu Justinianus Imperator eos flammis aboleri mandavit. Innocentius primus in epistola 26. ad Episcopos Africanos de Scriptis Pelagii sic rescribit: Librum sanè, qui ejus esse diceretur, nobis à Charitate vestra transmissum evolvimus, in quo multa blasphema, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret, à quovis damnandum, atque calcandum. Hoc verò rescriptum de sensu libri Pelagiani, unum est ex illis de quo ipse Augustinus non dubitat pronunciare, Romæ rescripta venerunt, causa finita est. Divinum nempe aliquid & infallibile hujusmodi Pontificis sententiæ, præ cæteris omnibus, inesse agnovit.

Neque fuisse satis doctrinæ damnatæ, abstractendo ab Authore ejusque sensu, anathema dicere, uti volunt aliqui Jansenii fautores, constat ex processu habito in prima Synodo Nicæna. Ubi cum Eusebius Nicod. & Theognis Nicænus condemnationi errorum qui Arii dicebantur sub-

subscriberent, detrectabant tamen ipso Ario
ejusque doctrinæ anathema dicere. *Quod mini-
mè crederent eum qui erat accusatus, hominem ejus ge-
neris fuisse, qui eos errores doceret*: atque hoc unum
satis fuit, ut Synodus illos pro hæreticis haberet,
atque exilio mulctaret, uti memoriæ proditum
est in Socratis histor. Eccles. lib. I. cap. 10.

Palmare in hoc genere deducitur argumen-
tum ex actis Concilii Calcedonensis *actione 8.*
Ubi Synodus univèrsa Theodoretum, post ab-
juratam Nestorianam hæresim, absolvere recu-
savit, nisi disertè diceret, *Anathema Nestorio, &
dogmatibus ejus.* Durum Theodoro non vide-
batur dogmata à Concilio damnata reprobare,
modò Nestorium, cui plurimum studebat, eo-
rum authorem non agnosceret. At Patres ex
adverso, quamdiu id apertis verbis fateri recu-
sabat, consonâ voce inclamarunt; *Ille hæreticus
est, Nestorianus est, hæreticum foras mitte.* Sed ubi
Theodoretus tandem absque ambage dixit, *Ana-
thema Nestorio, & dogmatibus ejus*: Tum demum
in Concilio Episcopi omnes pronunciarunt:
*Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ, Orthodoxum Eccle-
sia Pastorem recipiat.* Mutato tantum nomine, aliis
in simili causa eandem sententiam quadrare,
consideranti manifestum est.

4. Non ignoravit hunc Ecclesiæ morem, & in
eo Pontificis potestatem Doctor olim in Belgio
celebris Michael Bajus, cujus cum sententiæ va-
riæ damnatæ essent à Pio V. & Gregorio XIII.
in rigore ac proprio verborum sensu ab asser-
toribus intento, nullo quæsito à Facti quæstione
præsidio, suam confessionem, ac damnatæ doc-
trinæ retractationem inter alia his verbis ex-
pressit. *Fateor plurimas ex iisdem sententiis in non-
nullis libellis à me olim, & ante emanatam se-
dis*

dis Apostolicæ super iis censuram, conscriptis, & in lucem editis, contineri & defendi, *Etiam in eo sensu in quo reprobantur.* Denique declaro me in presentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à sede Apostolica factæ acquiescere, neque post hac ullas docere, asserere aut defendere velle. Actum die 24. Maii 1580; quo tempore hæc etiam in Academicis Fastis conscripta fuere. Quin & ipse Jansenius nullam suis scriptis, contra Sedis Apostolicæ iudicium, superesse defensionem apertè proficitur in Proæm. ad tom. 2. cap. 29. *Quidquid, inquit, ab ista Petri Cathedra, ab isto Ecclesie uniuersæ Capite moderatore, Pontifice præscriptum fuerit hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.*

Hanc nisi supremo Pastori, majorum exemplo, auctoritatem erroris expertem concedimus, quid Calvinii, quid Lutheri libros à Sede Apostolica proscriptos execramur? Hæresim, inquit, libri illi continent manifestam. At negabit aliquis id sibi perspicuum esse, non enim omnes eâ pollent mentis acie, ut damnata dogmata in Lutheri libris ilico deprehendant. Cur ergo liberum non erit dicere; doctrinam omnem à Leone X. & Tridentino damnatam execror, Lutheri verò libros ut innocuos amplector. En ad qualia demum pascua deuehimur, nisi Pastoris vocem salutiferam omni ambage remotâ sequamur.

3. Dico nunc ulterius secundò. Quæstio de alicujus libri doctrina hæretica, & in sensu authoris, vera est quæstio Juris, non Facti.

Quid enim est inquirere, An doctrina libri v.g. à Jansenio vel alio authore conscripti sit hæretica, quam quærere, spectato Jure & Legibus humani

humani sermonis, quem sensum conficiat contextus verborum quæ in illo libro continentur? Hoc autem spectat ad Legem quâ societas humana, verba aut scripta in certis circumstantiis usurpari & intelligi voluit, etsi interea contingeret Scriptorem velle aliquem sensum verbis suis difformem. Sicut fit in valore quem Rex, aut Respublica monetæ constituit, qui debet publicè usurpari, etsi is qui monetam profert cupiat illam aliter acceptari. Secundò, quærere, An sensus ille, quem verba communi lege conficiunt, sit hæreticus? Quæ etiam est quæstio clara juris divini: resolvi enim debet ex jure divino, quo inquiritur, an sensus illi repugnet eloquiis divinis, sive doctrinæ quam Deus pro revelata haberi voluit?

Sic jam subsumo: Atqui ea quæ conflatur ex duabus quæstionibus juris, necessariò debet ad quæstionem Juris pertinere, Ergo quæstio illa, de alicujus libri doctrina hæretica, non Facti, sed Juris quæstionibus annumerari debet.

6. Ex quo patet talem hic de sensu libri hæretico subesse Juris quæstionem, qualis reperitur in aliis Articulis, extra ullius authoris librum, à Pontifice aut Concilio legitimè damnatis. Quando enim ab iis propositio aliqua ut hæretica declaratur v.g. hæc: *Mandata aliqua Dei sunt etiam justis impossibilia*; non aliud docent quam doctrinam illis verbis comprehensam hæresim continere: quid verò hoc aliud est, quàm sensum illi sermone subjectum hæreticum esse attentis Legibus quas homines communi institutione humano sermone statuerunt. Sensus enim ab authore aliquo intentus, in arcano ejus pectore non occultatur, sed ille esse Scriptoris sensus intelligitur, quem verba quibus utitur in externe

terne

terno tribunali, & communi hominum iudicio conficere solent. Hæc igitur manifesta juris quaestio est, de hac Ecclesia, de hac Pontifex, uti de illa priore, sine errore pronunciat.

En quocumque te verteris, sive ad Facti, sive ad juris quaestionem nullus datur effugio locus, lucidior est hæc veritas quam ut latebras patiantur. Hinc ne quis in ea recipienda vacillaret, sapienti consilio, ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Galliae desiderio, Alexander VII. decrevit, ut universus ordo Ecclesiasticus huic Professioni cum juramento subscriberet.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octob. 1656. summorum Pontificum, me subicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen Augustinus excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

QUÆSTIO SEXTA.

An Pontifex sit infallibilis in materia Morum, Canonizatione Sanctorum &c.

Dico primò. Errare non potest Pontifex aliquid pro universa Ecclesia definiens circa Morum honestatem, vel inhonestatem; v. g. contractum quempiam esse licitum. Ita Bellar. de pont. l. 4. cap. 5. aliique doctores Catholici.

1. Probatum: Quia Pontifex non est obnoxius errori dum aliquid definit in materia fidei, ut jam

jam supra ostendimus. Atqui doctrina morum non est diversa à materia fidei, nisi in eo quod illa morum non sit doctrina purè speculativa, sed insuper dirigatur ad praxim, & usum actionum humanarum, quarum ordinatio spectat etiam ad regimen Ecclesiæ, ac supremi Pastoris officium. Ergo debet hic esse non tantum Fidei, sed etiam Morum regula infallibilis. Confirmatur id ex praxi Ecclesiæ, quæ contra eos anathema pronunciat, qui non credunt articulis in materia morum definitis: uti patet in Trident. Sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

Hinc etiam sequitur, quando ab Ecclesiâ aut Pontifice religiosus Ordo approbatur, de fide esse, ejus Institutum non tantum esse conforme divinis præceptis, sed etiam viam præbere faciliorem ad perfectionem, quàm in ordinario Christianæ vitæ statu reperitur, & ad Consilia Evangelica idonea media continere.

2. Dico secundò: Quoad præcepta quæ mores concernunt, quando Pontifex potestate summâ aliquid Ecclesiæ prohibet, certum est illud non esse ad salutem necessarium, aut multum utile; quando autem aliquid præcipit, certum est id esse honestum.

Probatur prima pars: Quia ad officium supremi Pastoris pertinet, pabulum valdè utile, aut necessarium gregi non subtrahere, quod ne eveniat debet Christus suo Vicario in rebus prohibendis assistere, cui dixit, *Pasce oves meas.*

Secunda pars de rei præceptæ honestate declaratur: Quia qui præcipit aliquid tanquam honestum, hoc ipso docet illud honestum esse. Ergo quando Pontifex in materia Morum proponit aliquid sub præcepto acceptandum ab uni-

versa

versa Ecclesia, docet & definit illud honestè fieri, quæ definitio, cum sit in negotio pertinente ad salutem, debet esse à falsitate immunis, ne tota Ecclesia in errorem inducatur.

Dico tertio: dum Pontifices solemniter aliquem referunt in Canonem Sanctorum, sine erroris periculo definiunt, eum de facto frui cælesti gloriâ. Hæc doctrina apud Theologos adeo communis est, ut non dubitent oppositam graviter censurare: quamvis *Sinnichius* in suo Saule à §. 258. ad 299. contendat Pontifices non semper definire illum quem Sanctum declarant, de facto ad cælestem gloriam pervenisse.

3. Probatur contra eum nostra assertio: Quia quamvis vox *Sanctus* latè accepta, significet hominem mortuum in gratia, etsi nondum ad cælum pervenerit, uti patet in Elia nondum mortuo, qui Sanctus vocatur in Martyrologio Romano. Nihilominus in Bullis Pontificum strictius accipitur. *Sanctus*, pro illo solo qui de facto cælestem gloriam obtinuit. Patet hoc ex terminis quibus solent aliquem Sanctum declarare, ut in Bulla Leonis X. pro Canonizatione S. Francisci de Paula: *Decernimus & definimus S. Franciscum de Paula in Cælesti Hierusalem inter beatorum choros jam receptum, eternæque gloriâ donatum fuisse.* Et Pius II. definit, *Catharinam Senensem in cælesti gloria fuisse receptam, & æternæ gloriæ coronâ donatam.* Et eodem modo sonant verba quibus in Sanctorum Canonem refertur S. Antonius, S. Bernardinus, S. Raymundus, S. Edmundus Cantuariensis, S. Petrus de Alcantara, & complures alii.

Atqui nullâ veri specie sustineri potest, his actu decerni gloriam, idem verò de aliis Sanctis non constare, etsi eorum in Cælo præsens gloria,

ria, in Bullis Pontificum iisdem omnino verbis non astruatur : cum forma verborum quâ unus declaratur, Sanctus, censeatur cæteris esse communis qui eodem ritu in Sanctorum numerum referuntur. Quid enim causæ est cur in his, & illis vocem Sanctus æquivoce accipiamus, aut gloriæ cælestis possessionem indubitata uni potius quam alteri, contra communem fidelium sensum, astruamus? Quæro enim, An non omnes qui Sancti quâcunque formâ declarantur, etiam ut patroni & intercessores à fidelibus invocandi proponantur? non negat Sinnichius. Est autem omnino incertum, teste Bellarmino, an animæ in Purgatorio detentæ pro nobis intercedant. Quo igitur pacto patrocinium exhibebunt, si ipsæ cælo extorres, etiamnum pro suis delictis piaculari carcere detineantur? In eo sanè statu justorum manes illic versantur, cui magis competit Fidelium suffragia exposcere, quam se pro iisdem advocatos præstare. Si igitur pro certo habeas omnes solemni ritu Sanctorum fastis adscriptos, nostros apud Deum patronos infallibili autoritate declarari, eadem ratione cogaris sine dubitatione affirmare, illos cælesti gloriâ donatos esse.

Ad hæc cum nulla sit in promptu idonea responsio, recurritur ad Joannem XXII. qui, cum existimaverit animas Sanctorum non visuras Deum ante extremum iudicii diem, & tres ipse solemni ritu in numerum Sanctorum retulerit, definire contra suam sententiam non potuit, Sanctos illos de facto ad Dei conspectum admissos fuisse.

Sed hic cavendum ne aberremus à recepto juris axiomate, Distinguenda esse tempora, ut concilientur jura. Ut demus, Joannem XXII. aliquando

aliquando de proroganda Sanctorum gloria ita sensisse, haud rectè inferes, illum eandem opinionem tenuisse aut docuisse eo tempore quo Sanctos illos ritu solemni colendos proposuit. Hoc enim fecit in primo septennio sui Pontificatus, cum autem novemdecim annis Pontifex fuerit, potuit postremis tantum annis opinionem illam animo agitare, quod non obscurè colligitur ex Annalibus Baronii, qui de illa Joannis sententia tantum meminit ad annum decimum sextum quo in pontificatu versatus fuit. Quinimo nihil repugnat, pontificem simul eam sententiam tenuisse, simul contrariam definivisse, non enim voluit definire juxta suum sensum aut judicium privatum, sed more majorum, & prout rei veritas in mente divina exigebat.

Frustra quoque pro remoranda Sanctorum gloria, aliquid praesidii ex sanctissimo doctore Augustino sperari potest, dum scilicet asserit multa corpora honorari in terris, quorum animae torquentur in inferis. Si enim de panis inferorum S. Augustinum interpretari velimus, plus hinc conficietur, quam ipse Author oppositae sententiae inferri patiatur, qui non dubitat quemlibet ab Ecclesia in Sanctorum numerum relatum, in statu saltem gratiae, & pœnae aeternae securum versari. Itaque Sanctus Doctor sententiam illam non profert de corporibus Sanctorum, sed virorum Principum, quorum animae quandoque dum in inferno torquentur, splendidis interea sepulturis eorum corpora in terris honorantur. Aut etiam de corporibus aliorum hominum intelligi potest, qui privato cultu per errorem à quibusdam pro Sanctis habentur, nunquam tamen ab Ecclesia Sanctorum numero ascripti fuerunt. Maneat ergo sine exceptione,

et cetera

ne,

ne, onanibus solemni ritu in Sanctorum Canonem relatis, præsens & indubitata gloriæ possessio, nullâ facti, nullâ veri specie contra communem fidelium sensum protelanda.

4. Dico quartò; Quando Pontifex aut Ecclesia, solum declarat aliquem esse Beatum, non definit illum de facto in cælesti gloria versari, quamvis tali Beato præsentem gloriæ statum negare, temerarium foret.

Ratio est, Quia declaratio illa, non est decretum ultimò decisivum beatitudinis obtentæ, cum novum examen institui soleat antequam accedat definitio qua Beatus in Sanctorum numerum referatur, sed tantum est decretum permissivum, ut defunctus possit in Ecclesia vocari Beatus, & pingi cum radiis, cui aliquando accedit ut certò die, & loco, & à determinatis personis Officio, & Missâ coli possit. Ne autem hic cultus suos limites excedat varia sunt constituta in decreto sacre Congregationis Rituum, habitæ coram Sanct. Domino Alexandro VII. anno 1660.

Hinc ex vi solius Beatificationis, non semper conceditur simul potestas faciendi de Beato Missam aut Officium, nisi id disertè exprimatur. Et sic B. Aloysio Gonzaga prius concessum fuit nomen Beati, quàm Missa aut Officium, ut testatur Turrianus disp. 17. dub. 3.

Illæ etiam personæ, quibus conceditur certo anni die de Beato recitare Officium, non ideo possunt alio die celebrare de eodem Missam votivam, uti fit de Sanctis Canonizatis, ut habet idem Turrianus.

Quæres. Quis cultus sit licitus, aut prohibitus erga alium hominem cum opinione Sanctitatis defunctum, nondum tamen ab Ecclesia beatificatum?

Respon-

Respondeo, licitum esse talem colere cultu privato, quando prudenter judicatur illum frui cælesti gloriâ, ut docent Theologi communiter cum S. Antonino, & Sylvestro in Summa, verbo, *Canonizatio*. Illicitum autem est illi deferre cultum publicum, sine Sedis Apostolicæ facultate, ut est publica lectio Officii Canonici, aut precum solemnum.

Quædam etiam speciatim prohibita sunt ab Urbano VIII, anno 1625. in honorem hominis nondum beatificati, ut appendere anathemata in loco publico, accendere candelas, aut lucernas ad ejus sepulchrum, pingere illum cum radiis, aut aureolis, miracula ejus imprimere nisi approbata ab Ecclesia, aut ejus Reliquias venerationi exponere. Licitum tamen est tales Reliquias privatim venerari. Anathemata autem v.g. in testimonium miraculi, jubet Pontifex, cum Ordinarii approbatione, in loco secreto, non autem in templo, servari.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Qua sint alia Pontificis Romani prerogativa.

Sunt alia actiones non pauca in Jure canonico expressæ, in solius Romani Pontificis potestate constitutæ, ex quibus tantum præcipuas referemus.

Primò, solus Pontifex potest per sententiam majoris Excommunicationis aliquem ab Ecclesiæ corpore segregare: & quem ipse anathemati subjicit, nemo alius potest isto vinculo, sine ejus facultate, liberare. Uti patet ex Cap. *Inferior*. dist. 21. Et cap. *Nuper*. de sent. excom.

2. Si

2. Si quem Pontifex sciens & prudens salutat, hoc ipso censetur ab omni interdicti, & anathematis vinculo solutus. Clement. *Si Summus.* de sent. excom.

3. Solus Pontifex potest plenarias peccatorum Indulgentias concedere. Ut consentiunt Doctores in C. *Cum ex eo.* de privileg.

4. Solus potest Pontifex novos Religiosorum Ordines approbare: uti patet in Concil. Later. sub Innoc. II. *cap. ult.* Quando verò Ordinem aliquem definitivè approbavit, de fide est Institutum illud nihil habere fidei, aut morum honestati contrarium: nihilque illi deesse perfectionis necessariae ad statum Religiosum ut est à Christo institutus, ut probatum est in quaestione superiori.

Solius Pontificis est authenticè interpretari quae dubia sunt in Jure canonico, vel divino. Item declarare quanam pertineant ad Sacramentorum materiam, formam, ministrum &c. Uti habetur ex Cap. *Majores.* De Baptismo, & quaest. 1. C. *Quoties.* &c.

5. Denique institutio Episcoporum, variorum Praelatorum, ac Beneficiorum, eorumque collatio soli Sedi Apostolicae reservantur, quorum plurima recensentur in Extravagante Joannis XXII. *Ex debito Pastoralis.* De Electione.

Quaestiones porro notanda de Pontificibus Romanis.

Quaeritur primò; Quot Pontifices Romani post S. Petrum continuato ordine successerint, usque ad Innocentium XI. qui nunc Ecclesiam gubernat?

Respondeo, successisse ducentos quadraginta quatuor calculo communiori: Et hi totidem

G

sunt

sunt testes, ac publici praecones potestatis à Christo derivatae, ac continuâ serie ad hodiernum Pontificem transmissa, quorum seriem infra dabimus.

Quæritur secundo; Quot ex his fuerint Martyres, aut Confessores?

Respondeo, Martyrio coronatos fuisse triginta duos pro Romanae fidei defensione. Inter sanctos Confessores numerantur triginta septem absque ulla controversia, alii plures recensent. Et hi veritatem perpetuam Religionis Romanae suo sanguine, doctrinâ, ac miraculis consignarunt.

Quæritur tertio; Quot fuerint Pontifices Romani ex Religiosis Ordinibus assumpti? Respondeo, assumptos fuisse quinquaginta duos, ut numerat Azorius, alios inuenio qui facile ad septuaginta extendunt, quorum primus fuit Dionysius Monachus, sive ut alii Eremita, quos recenset eadem fide quâ computantur ab Azorio instit. mor. p. 2. nihil repugnans si forte alii suorum calculum in aliquo magis accuratum iniuerint.

Ex ordine S. Benedicti creatos octodecim Pontifices, tradit Trithemius in lib. de viris illustribus sui ordinis Benedictini, quorum primus fedit Gregorius istius nominis primus; alii, Pontifices hujus Ordinis universim usque ad numerum trigessimum extendunt.

Ex ordine Canonicorum Regularium numerantur etiam decem & octo Pontifices Romani, incipiendo à Leone II. Benedicto II. Sergio I. &c. usque ad Innocentium III. Et de aliquibus est contentio cum Benedictinis, utrius Ordinis fuerint.

Ex ordine Cluniacensium, quatuor ab Azorio referuntur Pontifices: Gregorius VII. Urbanus

banus H. Paschalis II. Urbanus V.

Ex ordine Cisterciensium creati duo ; Eugenius III. & Benedictus XII.

Ex Familia S. Dominici tres assumpti : Innocentius V. anno 1276. postea Benedictus XI. & demum Pius V. anno 1566. nuper solemniter Beatorum fastis adscriptus.

Ex Instituto S. Francisci quatuor ad minimum, ad Pontificatum evecti fuere : Nicolaus IV. anno 1288. Alexander V. an 1409. Sixtus IV. anno 1471. & Sixtus V. anno 1585. ut habet satis recepta computatio, quibus alii plures adjungunt, qui habitum S. Francisci saltem in morte tulerunt. Prætermitto assumptos ex aliis Institutis minus notis.

Tantum hic observo, Ecclesiam gubernatam fuisse per annos quadraginta quinque continuos per Pontifices ex solis Religiosis assumptos ; Gregorium VII. Victorem III. Urbanum III. Paschalem II. & Gelasium II. raro deinceps exemplo.

Quæritur quartò ; Quinam fuerint ex variis Nationibus Pontifices electi ?

Respondeo, in Cathedra Petri sedisse Romæ Pontifices ex omni pæne natione quæ sub cælo est ; ut vel inde videas solam Ecclesiam Romanam verè dici Catholicam, sive universalem.

Ex natione Gallica creati fuerunt Pontifices ad minimum numero quindecim, inchoando à Sylvestro II. ut illos recenset Azorius *inst. mor. p. 2. l. 5. c. 44.*

Ex Germania fuere quatuor : Gregorius V. ex Saxonia. Victor I. ex Suecia. Clemens II. etiam è Saxonia. Damasus II. ex Bavaria.

Ex Hispania etiam quatuor assumpti : Damasus I. & Joannes XXII. Lusitani. Callistus III. &

& Alexander VI. Valentini, Aliqñ etiam Melchiadem Pontificem Hispaniæ vindicant.

Ex Anglia electus est Adrianus IV.

Ex Flandria unus euectus est ad summum Pontificatus fastigium Adrianus VI. Ultrajectinus.

Ex Gentibus remotioribus sufficiat summatim annotasse, ex Græcia ad Pontificatum delectos quindecim, initio ducto ab Anacleto. Ex Syria creati Pontifices septem, ab Evaristo inchoando usque ad Sergium I. Ex Africa numerantur tres, Victor I. Melchiades, & Gelasius I.

Ex Sardinia duo, Hilarius, & Symmachus. Duos quoque Pontifices sibi vindicat Sicilia, Agathonem, & Leonem II. sed horum patriam alii in controversiam vocant. Reliqui ex Italis assumpti fuerunt qui circiter 187. numerantur.

Morem Ecclesiæ Romanæ osculandi pedes summorum Pontificum insectantur nostri temporis hæretici, tanquam summum flagitium & Idololatriæ proximum. Sed illorum in hoc impietatem ac fastum redarguit è toto orbe Christiano omni ævo summorum Imperatorum, Regumque pia, ac prudens consuetudo, qui in Pontifice Romano non hominem intuentur, sed supremum in terris Christi Vicarium.